Nos Johannes dei gratia Rex Aragonum Navarre Sicilie Valencie Ma-
loricarum Sardinie et Corsice Comes Barchinone dux Athe-
narum et Neopatrie ac etiam comes Rossilionis et Ceritanie

Quoniam nos ad laudem et gloriam et totius rei publice sub-
ditorum nostrorum culminis vigilancie commissorum cedit ad comodum
et quietem dum negociorum Regiorum constructa (?) et in personis
subditorum utilitatem et favorem concessa et acta sub tuto stri-
cto (?) et perpetuo gubernaculo conservantur. Ut cum hijs opus
sit in promptu sub tranquillo et pio (?) valeant habere

Quare sedula meditatione pensantes dudum per foros per
nos editos in generalibus curijs in Civitate Calatayubii de pro-
ximo in ecclesia (?) Regni Aragonum celebratis de voluntate et ad sup-
plicationem totius ipsius curie et convenientium in eadem inter cetera
fuisse provisum statutum et ordinatum. Quod prothonotarii Secreta-
rii et scribe mandati nostri et successorum nostrorum locumtenentiumque
generalium in casu quo per forum locumtenentes fieri possint et pri-
mogenitorum nostrorum et successorum nostrorum in dicto Regno Aragonum
habeant et facere teneantur registra seorsum et ad partem
de omnibus et singulis privilegijs gratijs litteris et provisionibus
dicto Aragonum Regno et universitatibus singularibusque personis
ipsius concessis et ab inde concedendis de omnibus ne-
gocijs et actis aragonum registrari solitis: Quequidem
Registra apponere habeat et dimittere in domibus depu-
tationis ipsius Regni in posse unius notarii aragonensis
domicilii habitatoris et residentis in Civitate Cesar-
augustae vel substituti ab eo in quo tamen concurrant
qualitates predicte salariati per nos et successores nostros:
Idemque notarius tenere habeat dicta Registra in archivo
quodam per deputatos dicti Regni faciendo et deputa-
do in dictis domibus deputationis: Ipsaque registra et cla-
ves dicti archivi dictus notarius tenere habeat et servare

pro nobis et successoribus nostris cum sacramento et homagio
de bene et legaliter se habendo in custodia et guarda
dictorum registrorum: Quin notarius possit et habeat de
mandato iudicis competentis dare copias et transumpta
fidem facientes omnibus quibus dari debuerint prout ha-
bet et alia in dicto foro ad quod nos referimus seriosius
continentur: Et volentes quod disposita et ordinata per
nos iuxta dicti fori seriem ut convenit in effectum dedu-
cantur nostris prosperis et felicibus temporibus et quod
officium notarie ac scribanie custodieque et detencionis
dictorum registrorum et scripturarum et clavium archivi iam
dicti et aliorum faciendorum et complendorum secundum men-
tem dicti fori persone habili et ydonee de qua sit me-
rito confidendum per nos procul dubio committatur et co-
mendetur summo pectoris nostri sollicitudine discurrentes
cui officium huiusmodi committi possit, tandem mente
nobis occurristis vos dilectus et fidelis scriba manda-
ti noster Dominicus Sebastian aragonensis domicili-
atus civis et residens in iamdicta Civitate Cesar-
auguste cuius industriam fidem probitatem fidelitatem
ydoneitatem et animi sinceritatem ab experto habemus
Predictis igitur operam dando ac de eisdem industria
legalitate fide probitate fidelitate ydoneitate et ani-
mi sinceritate ad plenum confisi presencium tenore
ac scienter deliberate et consulto vos eundem scriptorem
nostrum Dominicum Sebastian prestitis prius per vos in can-
cellaria nostra iuramento et homagio predictis iuxta
formam in notarium et scribam custodemque et detentorem
dictorum registrorum et scripturarum et clavium dicti archivi
iuxta dicti fori mentem seriem et tenorem cum oneribus
honoribus iuribus lucris obvencionibus preheminenciis superioritatibus

et auctoritatibus ad ipsum notarie et scribanie custo-
dieque et detencionis dictorum registrorum et scripturarum
et clavium dicti archivi officium pertinentibus et spectantibus
facimus constituimus creamus deputamus assignamus pre-
figimus et specialiter ordinamus quamdiu de Regie dig-
nitatis processerit beneplacito. Itaque vos dictus Dominicus
Sebastian ex nunc in antea dum regie dignitati pla-
cuerit et nemo alius sitis notarius et scriba custosque
et detentor dictorum registrorum et scripturarum et clavi-
um dicti nostri et successorum nostrorum archivi ip-
siusque officium et exercicium eiusdem per vos aut substitu-
tum vestrum iuxta dispositionem dicti fori in quo qualita-
tes fori eiusdem concurrant, una cum pleno exerci-
cio quo ad vos dicti vestri officii scribe mandati super
quo si incompatibilia essent prout non sunt de ple-
nitudine Regie potestatis motu proprio ac de nostri cer-
ta sciencia huius serie dispensamus habeatis tenea-
tis regatis et exerceatis dum Regie dignitati placu-
erit ut predicitur, registra et scripturas predictas a
detentoribus earundem petendo habendo et recipiendo
in dictoque nostro et successorum nostrorum archivo recon-
dendo apponendo tenendo custodiendo et observando
copias et transumpta fidem ferentes habere deben-
tibus iuxta dictum forum liberando et tradendo et alia
omnia et singula faciendo et exercendo que ad
dictum officium fieri et exerceri pertinet et debent et
que in talibus et similibus officiis fieri et exerceri
solita sunt possunt et debent: Et quia optat premia
quisque labor, volumus statuimus ordinamus et decla-
ramus per presentem cartam nostram de dicti nostri certa
sciencia et expresse quod loco salarii et pro salario labore

et [h]onerum per vos dictum dominicum sebastianum scripto
rem mandati racione et ex causa dicti officij
notarie et scribanie custodieque et detencionis dic
torum regestrorum et scripturarum et clavium dicti
archiui nostri et successorum nostrorum habeatis et plene
recipiatis vestrisque utilitatibus aplicetis dum de
regie dignitatis processerit beneplacito a die quo
exercicium dicti officij habueritis inantea omnem
illam ordinariam quitacionem vestitum et graciam sive
presens fueritis in curia nostra et successorum nostrorum
sive non. Que vobis ut scriptori mandati ordina
rio et alijs scriptoribus mandati ordinarijs per terci
as cuiuslibet anni de iuribus et emolumentis sigillorum
curie nostre continuo curiam nostram personaliter
sequentibus persolvuntur pertinere et debentur
ac si semper et continuo ipsi nostre et successorum
nostrorum curie personaliter interessetis et presens
fueritis sic et taliter quod vos quo ad assecucionem ordi
narij salarij vestitus et gracie predictorum tamquam pro
presenti semper haberi volumus et declaramus licet
presens non fueritis, pracmaticis sanccionibus et
alijs quibusuis ordinacionibus constitucionibus edic
tis mandatis et provisionibus ac rescriptis nostris
et domus nostre contrarium disponentibus eciam si illas
hic inseri seu expresse mencionari oporteret super
quo eciam ad cautelam de dicta certa sciencia et ex ple
nitudine dominice potestatis motu proprio dispensamus
et dispensatum volumus et censemus atque determinamus
nullatenus obstituris. Illustrissimo itaque principi fer
dinando duci montisalbi et comiti Ripacurcie et Aguste

ac domino Civitatis Balagarij filio primogenito
nostro carissimo et Gubernatori generali ac post dies
nostros felices Regnorum et terrarum nostrorum inmediato
successori, Cancellarijs quoque vicecancellarijs et
regentibus cancellariam nostri et successorum nostrorum locum
tenenciumque et primogenitorum nostri et successorum nostrorum
Regentique officium gubernacionis Iusticie baiulo ge
nerali deputatisque Regni Aragonum magistro raci
nali Curie nostre et conservatori nostri Regij patrimo
nij, prothonotarijs, Secretarijs et scribis mandati nostris
et dictorum nostrorum locumtenencium generalium et primogeniti
ac gubernatoris generalis et successorum nostrorum Calme
dinis Iusticijs quoque baiulis Merinis Iuratis Iudicia
bus ceterisque demum vniuersis et singulis officialibus et sub
ditis nostris et successorum nostrorum in dicto Regno Ara
gonum et alibi constitutis tam maioribus quam minoribus
et dictorum officialium locatenentibus presentibus et futuris
et alijs quibuslibet dicimus ac stricte precipiendo ma
damus quatenus vos dictum dominicum sebastianum scriptorem
nostrum quamdiu Regie dignitati placuerit pro nota
rio et scriba custodeque et detentore dictorum regestrorum
et scripturarum et clavium dicti archiui nostri et successorum
nostrorum Locumtenenciumque et primogenitorum nostri
et ipsorum successorum nostrorum et nemine alium habeant te
neant reputent atque tractent et in realem actualem et cor
poralem possessionem seu quasi dicti officij et aliorum predictorum
vos inmitant et inducant inductumque et inmissum ma
nuteneant firmiter et defendant ipsumque officium per
vos aut vestrum ydoneum substitutum iuxta antedicti fori
disposicionem regi et exerceri sinant libere et pacifice. Dictique

deputati dicti Regni quamtocius fieri possit locum ydo
neum dispositum et congruentem in archivum nostrum
et successorum nostrorum in dictis domibus deputacionis dicti
Regni faciat depingi seu consignet pro custodia secura
registrorum et scripturarum predictarum ut finis optatus dicti
fori provisis consequatur debito cum effectu. Dicti quoque
prothonotarii et eorum locatenentes secretarii et scriptores
mandati ipsi foro effectualiter satisfacientes dicta
faciant ac fieri faciant registra ad partem illaque realiter
aponant et dimittant in dicto archivo nostro et successorum
nostrorum in posse vestri dicti dominici sebastia notarii et
scribe et custodis et detentoris clavium ipsius archivi seu
in posse eiusdem vestri ydonei substituti ut illa et claves
dicti archivi pro nobis et successoribus nostris in fida et
tuta custodia teneatis et conservetis sub dictis iura
mento et omagio: Mandantes hoc nichilominus
per presentem dictis prothonotariis eorumque locatenen
tibus et aliis quibusvis receptoribus et detentoribus
iurium proventuum et emolumentorum sigillorum curie
nostre successorum nostrorum et locumtenencium et pri
mogenitorum nostri et successorum nostrorum presentibus et fu
turis et eorum cuilibet ad quem seu quos spectet quatenus
ad solam ostensionem et presentacionem presentis
nulla alia cautela certificacione aut albarano seu
albaranis scriptoris porcionis domus nostre successorum
nostrorum locatenencium et primogenitorum nostri et ipsorum
seu alterius cuiusvis expectata aut expectatis vobis
dicto dominico sebastia ut scriptori nostro ordinario
et scribe sive custodi predicto et cui volueritis loco vestri
de quitacionibus vestitibus et graciis ordinariis que sunt

ordinaciones et estatuta domus nostre scriptoribus ordina
riis residentibus et deservientibus personaliter in ipsa curia
nostra et successorum nostrorum debentur et primo et solvi
solitum est a dicto die quo exercicium dicti officii habebi
tis incipiendo et inantea continue computando per
dictas cuiuslibet anni tercias et temporibus solvi assue
tas et statutas absque dubio impedimento obstaculo aut
contradictione aliqua respondeat et satisfaciat et
illa solvat integre et complete ac realiter et cum
efectu anno quolibet dum regie dignitati placuerit ita
pro temporibus quibus presens fueritis in nostra et successorum
nostrorum curia quam absens cum ut dictum est semper vos pro
presenti haberi volumus iubemusque censemusque et declaramus
cum presenti recuperando tamen a vobis seu a vestro procu
ratore potestatem habente in singulis solucionibus vobis
fiendis apochas de soluto in quarum prima tenor hu
iusmodi totaliter sit insertus in aliis ante de eadem
solum mencio specialis habeatur. Per quam etiam
mandamus magistris racionalibus curie nostre et succe
ssorum nostrorum eorumque locumtenentibus et quibusvis aliis
a dictis prothonotariis et eorum locatenentibus ac aliis qui
busvis receptoribus et detentoribus iurium et emolumentorum
dictorum sigillorum compotum auditurus presentibus et futu
ris et eorum cuilibet de nostra certa sciencia et expresse
quatenus dictis prothonotariis aut eorum locumtenentibus
et aliis predictis vobis predictas quitaciones vestitus
et gracias solventibus aut aliquo eorum in datis ponenti
bus soluciones que dicto pretextu et causa vobis aut
vestro procuratori pro vobis facient et restituentibus dictas
apochas ut est dictum illas et quamlibet earum in eorum compotis

GOBIERNO
DE ARAGON

recipiant libere et admittat dubijs difficultatibus con
tradictionibus et consultis cessantibus quibuscumque qui
buscumque pragmaticis sanctionibus constitutionibus ordi
nationibus edictis mandatis et provisionibus ac
rescriptis nostris et domus nostre contrarium dispone
tibus etiam si ille hic inseri haberet ac de eis mentio
ne magis specialis fieri opporteret super quo et qui
bus ex ipsa nostra regia et dominica potestate motu
nostro proprio vobiscum dispensamus et dispensatum
volumus decernimus et censemus ut est dictum non
obstantibus ullomodo. Heredes omnia et singula supradicta
predicti superius nominati et quilibet eorum
et alij quivis non mutent aut differant, ymo
illa omnia et singula faciant teneant
compleant et observent teneri compleri
et observari faciant inviolabiliter per
quoscumque: Et non contrafaciant
aut aliquem contravenire sinant seu
permittant quavis ratione seu causa
contra predicta aut aliquid predictorum
: Si dictus noster primogenitus nostris
obedire mandatis cupit, officiales vero et
alij predicti graciam nostram caram ha
bent iramque et Indignacionem nostras
ac penam trium Mille florenorum
auri Aragonum a bonis eorum secus
agentium exhigendorum. nostroque In
ferendorum. Erario cupiunt non incurrere

In cuius rei testimonium presentem fieri jussi
mus sigillo nostro communi appendicio communita
Data In villa Tarrage Quinto decimo die
May. Anno A nativitate domini Mille
simo Quadringentesimo Sexagesimo Quinto
Regnorumque nostrorum Navarre Anno Quadragesimo
aliorum vero Regnorum nostrorum anno octavo. Rex Jo.

In officialium aragonum — Dominus Rex mandavit michi
Philipo clementis et vidit eam.
Villa R. pro tesaurario et generali

Signum mei Martialis de ourrea habitatoris
Civitatis Cesarauguste auctoritateque regia
notarij publici per totam terram et domina
tionem serenissimi domini Regis aragonum
Qui huiusmodi copiam a suo originali regio
carta seu provisione pergameno scripta manu
domini Regis subsignata sigilloque regio appendicio communita extractam
et cum eadem originali carta seu provisione bene et fideliter compro
batam meo solito signo consignavi In fidem et testimonium premissorum
Consta de raso et [illegible] In tercia pagina

GOBIERNO
DE ARAGON

GOBIERNO DE ARAGON